



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De abstinentia, & sobrietati. Cap. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

uebat, quasi nefariè rapuisset. Quare ergò moriatur iustus (quod nemo considerat) & latrones, qui eius bona diripuerunt, leuem saltem pœnam ferre detrectent?

42 Fratres ergò nostri, suam causam agentes, peccata præterita seriò detestantes, dolorem (quoad ex auxilio gratiæ per eos fieri poterit) concipere satagant: deindè fortiter dimicantes corporis ueras leges imponant: ut a motis culparum veterum impedimentis, ad portum salutis, per acta nauigatione, pertingant.

*De abstinentia, & sobrietate.*

*Caput. X.*

1. **M**ulta in capitibus de Castitate, Paupertate, & Pœnitentia protulimus, quæ ad proprios actus abstinentiæ, ac sobrietatis spectant: nec nouo tractatu indigerent, nisi gulæ hostem tam infestum paterentur: adiiciemus ergò, nonnullas obseruationes erga virtutes has, quæ pœnitentiæ familiarissimæ sunt.

2. Abstinentia est virtus, quæ ciborum usum, sicut sobrietas potum modera-

tur

tur: vtraq; est téperantiæ pars instituti  
Monastici conditoribus laudatissima.

3 Honeſtatem virtutum harum ado-  
lescentibus maximè decorã, indè con-  
ijcere posſumus, quòd ſpiritus princi-  
patũ Angelico more tuetur, dum per-  
enniter vigilant ( quod Chriſtus con-  
ſuluit ) nè corda turpi crapula, vel ebbri-  
etate grauentur.

4 Mores nimirum Angelicos affectãt,  
vt mens indè paſtum requirat, vbi ſpi-  
ritus alitur, tametſi ad tempus corpus  
extenuetur.

5 Vtiles certè conatus: tantò enim pin-  
guior mentis, quantò tenuior corporis  
paſtus eſt: & cum alter alterum exclu-  
dat, ingens diſpendium eſſet, ſpiritu ie-  
iuno, rudi paſtu corpus obruere.

5 Nec ſolum a deſt lucrum: ſed maior  
certè eſt ſpiritus alimento, quàm eſt pocu-  
lentiſ, vel eſculentiſ percipitur volu-  
ptas: quæ corda puriſſima nutrit.

7 Hinc per omnem antiquitatem præ-  
clariffimi Patres vtriuſque teſtamenti  
tam exactè virtutes haſ coluerunt, vt  
pelle dũtaxat, & offib; cõſtare viderẽt:  
quorũ tamen, in exhaustis corporibus,

robur inuictissimum fuit : quod plurima, & vulgatissima exempla demonstrant.

8 Fratres ergò nostri Patrum tantorum vestigijs insistentes, eam gloriam æmulentur, vt res diuinas, quarum studium profitemur, corpore non impediti percipiant. Sed actus proponamus.

*Exemplum.*

9 **N**otandum gulæ concupiscentiã, multis subtilitatibus, propriã voluptatem exquirere : quærit enim lautum primum : si ea desint, ex ijs, quæ apponuntur, explorat meliora : si omnia æque bona, vel non bona sint, rem quantitate compensat : quòd si quantitas modica sit, edèdi, seu bibendi mora, vel modo alio, qui gustum pareat, actum illi vitæ necessarium vitare contendit.

10 Propter hoc quisquẽ frater secum statuere debet, velle se, eam tantum escam, & potum assumere, quæ naturæ, non voluptati seruiant : & modum sanctorum tenere : vt omnis festinatio, vel affectatio absit, & animus communi catione pascatur.

11. Verum quia Concupiscentia necessitatem plerumq; simulat, nè facile credunt, nisi re experimentis probata: extra horas autem consuetas nihil sumere non Monachis tantum, sed sæcularibus, qui frugalitatem amant, familiare est.

*Actus interni.*

12. **T**emperatissime Iesu Christe, decerno, esca, & potu eo tantum uti, ut natura ad seruiendum tibi consistat.

Nolo, mitissime Domine, ullam in mensa voluptatem percipere.

Absit à me domine, ut lauta, vel villo modo pallato suavia quæram.

Vellem, dulcissime Deus, ut omnia, quæ sumpturus sum, absinthium saperent, propter te.

Propono, amantissime Domine, cor à mensa subtrahere, ac lectioni sacræ ad-mouere.

Propono, Domine corpus fame, ac siti vexare propter te,

Utinam, Clementissime Deus, quoties accumbo mensæ, portio deterrima mihi contingat.

Utinam, benignissime iesu Christe,

felle quod gustasti, omnia mea prandia condiantur.

Huiusmodi actus ( vt cuique patet ) sub formis varijs produci possunt : sed affectus commendatur.

*Actus externi.*

13. **E**X antiqua Patrum disciplina constat, modos ad gulam necandam multos excogitari oportere : nam in re quotidiana, qualis est corporis nutritio, frustra quis se temperantem crederet, qui solos internos actus exerceret : qualis enim virtus est, quæ occasione frequentissimâ non vititur?

14. Hinc fratres nostri, non solum, appositis meditationibus, sanguinis, fellis, & aceti Iesu Christi mensam instruere; sed accuratissimâ circumspeditione, dum cibum, potumque sumunt, virtutem colere nituntur. Hinc è singulis ferculis partem aliquam Christo pauperi erogare. Hinc aliquoties in singulis prædijs, aut cœnis buccellas aliquot, quibus concupiscetia magis oblectatur, Christi causa relinquere. Hinc vino parcissimè uti. Hinc zettam sibi panis, & potus  
quanti-

quantitatem præfigere: Hinc fructibus  
benè olentibus, & gulam irritantibus,  
per dies aliquot, vesci nolle. Hinc pul-  
mento, modicam aquam ad extinguen-  
dum saporem, interdū infundere: Hinc  
pulveres absynthij, vel alicuius rei ama-  
ræ leuiter inspergere. Hinc dum accū-  
bitur mensæ cilicium, vel catenam cor-  
pori astringere, vel pedem alterū è ter-  
ra per interualla subleuare, vt molestia  
corporis, cibi & potus gustum exclu-  
dat.

15 Hæc, & aliâ permulta, quæ salutis æ-  
ternæ desiderium suggerit, pro captu  
cuiusquæ ad abstinentiam, sobrieta-  
temquæ parandam, obseruanda sunt:  
nec si prælia importuna instent, ab ho-  
nesto proposito desistendum est: quod  
his rationibus persuaderi videtur.

16 Homines, qui belluarum ritu pro-  
priæ carni nimis indulgent; cum à me-  
dicis victus ratio præscribitur, mitum  
est, quàm rigidè pareant; vt parui mo-  
menti sanitatem acquirant, vel præser-  
uent: quare ergò pro cordis sanitate pa-  
randa, vel augenda Iesu Christi famuli  
præscriptâ à Sanctissimis Petribus vict.  
men-

mensuram, non teneant: vt æterna salutentur?

17 Certè qui studijs humanarum scientiarum impensè vacant, capitis offuscationem veriti, frugalitatem cum famis, ac sitis patiëntia colunt, vt peritiores eundant: cur ergò, qui cœlesti student sapientiæ, quæ sine temperantia nõ paratur, à gulæ voluptatibus non libenter abstineant?..

18 Deindè, natium est homini ratione uti, nemoq; adeò insanus est, vt non potius veller oculis corporeis, quàm intellectus usu carere: erit ergò ad hominis ingenium, quod intellectus vsuram non qualemcunq; , sed insigniter perspicacem cõfert, amare, ac pro virili sua prestare. Exploratum est autem, homines gulæ deditos in dies singulos magis hebetari, & rudiores effici: contra verò temperantes in quâdam iugi mentis vigilia rebus diuinis opportunissimâ, vaporibus non obturbatâ perdurare.

19 Præterea, quid turpius Monacho ad Angelorum mensam inuitato, quàm belluarum pabulo sic affici, vt ibi cor



cor defigat? etenim non ab Angelis tantum despicitur; sed quasi statu, quem elegit, indignus, magnam omnium sibi conflat inuidiam: non enim veri Religiosi ab homine ventri dedito possunt non abhorrere.

20 Sed & ipse Clementissimus Deus huiusmodi homines vehementer odit; ut electi populi exemplo, ad terrorem, vulgatissimo satis ostendit; quâdo postquam pluit super eum, sicut puluerem, carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata, iratus est valde: adhuc enim escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos: & occidit pingues eorum, & electos Israël impedivit.

21 Profectò Monachi voraces ad Esau posteritatem! pertinent, qui esca vna vendidit sacra primogenita: adoptavit quippe illos Deus in sortem Israël primogeniti populi sui, cum è millibus sæcularium eos elegit: ipsi verò sacra non curant, & pro ingluvie, Dei præsentiam, orationem, deuotionem, mentis puritatem, & alia primogenitorum priuilegia vendunt.

22 Et

22 Et quidem eò magis horum profectus desperandus est, quò minùs admonitiones superiorum, & rerum spirituum doctrinam percipiunt: etsi enim communibus Chori, Capituli, & Oratorij, actibus eos interesse oporteat, tantundè est, ac si abessent; cū affectus eò feratur, vbi non animus, sed concupiscentia pascitur.

23 At verò Religiosi temperantes, feliciter progrediuntur: actibus enim ad profectum destinatis, nō interpellati vacant, & vegetiores indè prodeunt: sūt vigiles, prudentes, comes, & omnib<sup>9</sup> omnia fiunt: inter ònes autè dotes castitatis, ita & abstinencia castitatis seminarium est.

24 Verum, quid de suauitate pastus interni, qui pro externi subtractione succedit, asserimus? illud profectò temperantibus euenire videtur, quod ipsi frugalitatis exemplari nostro Iesu Christo post quadraginta dierum ieiunium accidit, cū accesserunt Angeli, & ministrabāt ei. Sic enim Clementissimus Deus eos, qui à dapibus terrenis, vt ipsi vacēt,  
ab-

abhorrēt, lauto cōuiuio solari cōsueuit.  
 25 Cæterū ex historia modò tacta peti-  
 tur ratio ad exquirēdas virtutes has ef-  
 ficacissima: victus enim tam Iesu Chri-  
 sti D. N. q̄ Beatissimæ Virginis, q̄ diu in-  
 ter mortales vixerūt, quid aliud, q̄ per-  
 ennīs abstinentiæ, ac sobrietatis cultus  
 fuit? Omnia sanè hoc exemplo cō-  
 plectimur: nam quod de Apostolis spi-  
 cas præ fame vellentibus, quod de mul-  
 tis Eremitis abstinentiæ laude, vsque ad  
 miraculum, cōmendatis, accepimus; mi-  
 nus quiddā, quanquā, si cū ignauia no-  
 stra comparetur, per se maximum est.

16 Certent igitur fratres nostri à proba-  
 ta Christo victus norma minimè descif-  
 cere, vt mente in Deum sublatā, mentis,  
 & corporis puritatem tueantur, & Chri-  
 stianæ perfectionis viam. velocissimè  
 percurrant,

*De Humilitate.*

*Cap X I.*

**N**ihil ijs, quos peccatorū seridè pœ-  
 nitet, quiq; infensū Deum exora-  
 re cupiunt, altissima Christi humilitate  
 compendiosius est: quod multis para-  
 bolis,